

Atationi ducatum præbet ista doctrina quæ humanis verbis & corporeorum sacramentorum signaculis ipsam insinuat atq; intimat veritatem: propterea & hæc quæ per mendacium corrumpi potest, maxime incorrupta seruanda est, vt si quid in illa castitate animi fuerit violatum, habeat vnde reparetur. Corrupta enim autoritate doctrinæ, nullus aut cursus aut recursus esse ad castitatem animi potest.

**Pudicitie
causa non
metiedū.
Ca. XX.**

Constituitur ergo ex his omnibus hæc sententia, vt mendacium quod non violat doctrinam pietatis, neq; ipsam pietatem, neq; innocentiam, neq; benevolentiam, pro pudicitia corporis admittendum sit. Et tamen si quisq; proponeret sibi sic amandam veritatem: non tantum quæ in contemplando est, sed etiam in vero enunciando, quod in suo quoq; rerum genere verum est: & non aliter profereendam motu corporis sententiam quam in animo concepta atq; conspecta est: vt fidei veridicam pulchritudinem, non solum auro & argenteo & gemmis & amoenis prædijs, sed & ipsi vniuersæ temporali vitæ omniq; corporis bono præponeret, nescio vtrum à quoquam sapienter errare diceretur. Et si hoc suis omnibus talibus rebus recte antefere-

Bret, plurisq; pederet, recte etiam temporalibus rebus aliorum hominum, quos innocentia benevolentiaq; sua seruare atq; adiuuare deberet. Amaret enim perfectam fidem, non solum bene credendi ea quæ sibi excellenti & fidedigna autoritate dicerentur, sed etiam fideliter enunciandi quæ ipse dicenda iudicaret, ac diceret. Fides enim appellata est in Latina lingua ex eo quia fit quod dicitur. Quam manifestus est non exhibere mentientem. Quæ & si minus violatur, cum ita quisq; mentitur vt ei nullo incommodo, nullaq; pernicie credatur, addita etiam intentione vel salutis tuendæ vel pudicitia corporalis, violatur tamen, & res violatur in animi castitate atq; sanctitate seruanda. Vnde cogimur non opinione hominū, quæ plerumq; in errore est, sed ipsa quæ omnibus supereminet atq; vna inuisibilissima est veritate, etiam pudicitia corporis perfectamq; fidem anteponere. Est enim animi castitas, amor ordinatus non subdens maiora minoribus. Minus est enim quicquid in corpore quam quicquid in animo violari potest. Certe enim cum pro pudicitia corporali quisq; mentitur, videt quidem corrumendo corpori suo, non suam sed alienam immingere libidinem: cauet tamen ne saltem permittendo sit particeps. Permissio vero illa vbi nisi in animo est etiam? Corporalis ergo pudicitia corrumi nisi in animo non potest. Quo non consentiente, neq; permittente, nullo modo recte dicitur violari pudicitia corporalis, quicquid in corpore fuerit aliena libidine perpetratum. Vnde colligitur multo magis animi castitatem seruandam esse in animo, in quo tutela est pudicitia corporalis, quam quicquid in corpore fuerit aliena libidine perpetratum. Quamobrem quod in nobis est, vtrumq; sanctis moribus & conuersatione muniendum est atq; sepiendum, ne alicunde violetur. Cum autem vtrumq; non potest, quid pro quo sit contemendum quis nō videat, cum videat quid cui sit præponendum: animus corpori, an corpus animo: animi castitas pudicitia corporis, an pudicitia corporis castitati animi? Et quid magis in peccatis cauendum, permissio facti alieni, an commissio facti tui?

**Epilogus
p̄dictorū.
Ca. XXI.**

Elucet itaq; discussis omnibus nihil aliud illa testimonia scripturarū monere, nisi nunquam esse omnino mentiendum: quandoquidem nec vlla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus factisq; sanctorum inueniantur, quod ad eas attinet scripturas, quæ ad nullam figuratam significationem referuntur, sicuti sunt res gestæ in Actibus Apostolorū. Nam domini omnia in Euangelio, quæ imperitioribus mendacia videntur, figurate significationes sunt. Et quod ait Apostolus, Omnibus omnia factus sum,

1. Cor. 9.

vt omnes lucrifacere: non eum mentiundo, sed com-
Dpatiendo fecisse, recte intelligitur. Vt tanta charitate cum eis liberandis ageret, ac si ipse in eo malo esset, à quo illos sanare cupiebat. Non est igitur mentiendum in doctrina pietatis, Magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacij. Non est mentiendum secundo genere, quia nulli facienda est iniuria. Non est mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius iniuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacij libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas sine placendi hominibus enucianda est: quanto minus mendacium, quod per se ipsum quia mendacium est, vtiq; turpe est. Non est mentiendum sexto genere: neq; enim recte etiam testimonij veritas pro cuiusquam temporali commodis ac salute corrumpitur. Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Non enim malis conuertentium moribus, ad bonos mores conuertendus est. Quia si erga illum faciendum est, debet etiam ipse conuersus facere erga alios. Atque ita non ad bonos, sed ad malos mores conuertitur, cum hoc ei præbetur imitandum conuerso, quod ei prestitum est conuertendo. Neq; septimo genere mentiendum, Non enim cuiusquam comoditas aut salus temporalis, perficiendæ fidei præferenda est. Nec si quisq; in recte factis nostris tam male mouetur, vt fiat etiā animo deterior, longeq; à pietate remotior, propterea recte facta deserenda sunt: cum id nobis præcipue tenendum sit, quò vocare atq; inuitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus: fortissimoq; animo bibenda est Apostolica illa sententia, Alijs quidem su-
2. Cor. 2.
mus odor vitæ in vitâ, alijs odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus? Nec octauo genere mentiendum est, quia & in bonis castitas animi, pudicitia corporis: & in malis id quod ipsi facimus, eo q; fieri finimus maius est. In his autē octo generib; tanto quisq; minus peccat cum mentitur, quanto emergit ad octauum: tanto amplius, quāto deurgit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacij quod peccatum non sit putauerit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum. Tanta porò cæcitas hominum animos occupauit, vt eis parum sit si dicamus quædam mendacia non esse peccata, nisi etiam in quibusdam peccati dicant esse, si mendacium recusamus: eoq; perducti sunt defendendo mendacium, vt etiam primo illo genere, quod est omnium sceleratissimum, dicant vsum fuisse Apostoli Paulum. Nam in Epistola ad Galatas, quæ vtiq; sicut ceteræ ad doctrinam religionis pietatisq; conscripta est, illo loco dicunt esse mentium, vbi ait de Petro & Barnaba, Cum vidissem quia non recte ingrediuntur ad veritatem Euangelij. Cum enim volunt Petrum ab errore, atq; ab illa, in quam inciderat, vitæ prauitate defendere, ipsam religionis viam, in qua salus est omnibus, contrafracta & comminuta scripturarum autoritate conantur euertere. In quo non videt, non solum mendacij crimen, sed etiam periurij se obijcere Apostolo in ipsa doctrina pietatis, hoc est, in Epistola in qua prædicat Euangelium: ibi quippe ait priusquam ista narraret, Quæ autem scribo vobis, ecce coram deo, quia non mentior. Sed iam sit huius disputationis modus in cuius totius consideratione & pertractatione nihil præ cæteris cogitandum atq; orandum est, quàm illud quod idem Apostolus dicit, Fidelis deus qui non vos
1. Cor. 10.
sinet tentari supra quàm potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam exitum vt possitis sustinere.

**LIBRI DE MENDACIO AD
CONSENTIUM FINIS.**

Disti